



§. I.

Frequens est in veterum monumentis *devotorum* memoria. Gloriantur de Codro et Leonte suo Attici, quorum ille suam, 1) hic vero suarum filiarum 2) vitam pro communi salute et patria lubens profudit. In hoc etiam laudis genere ut nihil cedat Graeciae Roma, Graecorum legibus et moribus ac denique sacris imbuta, nomina M. Curtii, 3) juvenis bello egregii, et Deciorum 4) suorum P. et F. profert tantis laudibus digna, quantis in patriam atque universam rempublicam meritis clarissima. Ruit ille, postquam se Diis pro patria devoverat, et equo insidens quam poterat maxime exornato, in specum se armatus immittit. Ruunt hi Pontifice publico populi romani verba praeunte devoti, et equo insilientes armati se se in medios hostes immittunt. Digna res est, quae et Historicorum et Philosophorum exerceat ingenia, unde ori-

) (2

gines

- 1) CONON apud PHOTIVM in Bibliotheca, cod. CLXXXVI. p. 438.
2) ÆLIANVS Var. Hist. lib. XII. c. 28.
3) LIVIVS lib. VII. c. 6.
4) Id. lib VIII. c. 9.